DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS,

M. IOANNE DE GORRIS Doctore, Medico Regio Præſide.

1030

An Animi Mores ſequantur corporis temperamenta?

FVNCTIONVM Animi & humani corporis ea eſt dignitas atque præſtantia, vt illas quis iure credat nonniſi ab eo quod ὃ θεῖον eſt proficiſci; Animam intelligo & idoneam corporis temperiem: Anima eſt diuina mens quædam, ſenſibus noſtris imperuia, à materiæ commercio libera, exors elementorum & functionum varietate multiplex, quas edit facultatum miniſterio: Facultas eſt vis illa & poteſtas quam anima de ſinu ſuo promit, & ad munerum functiones profert: nulla autem vis animæ, quæ obſtricta ſit corpori, efficere quicquam poteſt ſine inſtrumenti alicuius ſubſidio: Eſt verò corporis temperies inſtrumentum agentis animæ, ſymmetria & concentus primarum quatuor qualitatum ex elementorum permiſtione, vt nobis cenſeri debeat commentitia illa quorumdam quinta qualitas: Temperies corporis tantæ eſt latitudinis, vt conſtituat nouem temperamentorum genera, temperatum vnum, octo intemperata, ſimplicia quatuor, totidem compoſita; aliud iuſtitiâ, aliud pondere temperatum; vtrumque illud in Naturâ verè ſubſiſtens: Sed ne dixeris vllum vocari temperamentum bilioſum, ſanguineum, pituitoſum & melancholicum, iſtæ ſunt hominis quidem non temperamenti appellationes conſentaneæ: eſt autem in ſingulis partibus animantis conſpicua illa temperamentorum varietas, tantæque dignitatis, vt ſine illâ ſtare non poſſit diuini animantis fabrica, non illius vita contineri, non ſui animi mores effingi, tantæ molis fuit, condere illud noſtri diuini ſenis τὸ ποίημα τοῦ χειρώνακτος ἀγαθοῦ.

ILLAM quatuor qualitatum temperiem caue dixeris animæ eſſentiam: Eſt animæ Natura aliquid præſtantius; non ex traduce ſed cœlitùs oriunda, principium & cauſa functionum corporis viuentis; & naturalis illa quidem, ſentiens & intelligens: per illam ſata atque ſtirpes nutriuntur, animalia mouentur & ſentiunt, homo (non verò bruta) ratiocinatur & intelligit, ſed cuius anima in corporis domicilium coniecta ſui ampliùs iuris non ſit, ſed ſenſibus mancipata; dum ſoluta eſt à corporis vinculis, omnia per ſe ſpectat nullo ſenſuum miniſterio, idque purè dilucidè & quale quidque ſit: non ſoluta habet ſua cum corpore functionum vitæ commercia, cuius illa perfectio quædam eſt, & abſolutio; ſic ancillantur illa ſibi mutuùm ad functiones edendas: Sua Animæ corpus elargitur organa & velut ex obſequio. Dat Anima ceu iure imperij facultates & ſpiritus, vt illas ſic & hos triplices, naturales, vitales, animales, nec non ſedibus diſtinctis, hepate, corde & cerebro: & ſpiritus quidem inſitos illos & influentes, corpora ætherea, facultatum ſedes & vincula: ſic ſe dedens anima totam in toto, & totam in qualibet corporis parte: Quàm mirum ſic miſceri diuina cum humanis, vt addubites, nùm anima corporea, vel corpus ſpiritale dicenda ſint.

SIMPLEX eſt Animæ ſubſtantia, ſed quæ multis facultatibus & viribus ſe fundit atque oſtentat: Hinc illa effectuum operumque varietas: ſi ſpectes corporis functiones Anima naturæ vtens facultatibus corpus alit vniuerſum, Vtens vitalibus hominis vitam ſuſtinet: eſt & hæc omnibus fons & principium ſenſus & motus: ſi animi mores, hos & format & effingit, ſed multa in corpore exiſtunt, quæ illius functiones iuuent & acuant, multa quæ obtundant & impediant, agunt ſi quidem facultates pro variâ corporis temperie, qualitatum primarum conditione, humorum varietate & partium ſtructurâ, denique & locorum & alimentorum ratione diversâ. Calidior corporis temperies cum qualitatum exuperantiâ igneos parit & deliros animi mores, infert vim animæ, ſed & illam non rarò ſejungit à corpore; argumento ſunt melancholiæ, furores, phrenitides: Temperies frigidior dum ſpiritus diſſolutos cogit, figit, denſat & coagulat impenſiùs, hebetes parit, & ignauos animi mores, demum calore extinctô vita fugit indignata: Quæ ſiccior eſt temperies ſæpè ſapientiæ comes eſt, & vbi ſplendor ſiccus illìc animus ſapientiſſimus: Impenſior verò humiditas tam ſegnes parit atque ſtolidos, vix vt animam his ineſſe crederes.

ECQVID non deſignat humorum plenitudo, & illorum exuperans temperies? Maxima eſt & admirabilis in ſanguine facultas, is humor princeps, temperatus, pulcherrimus, optimus, ſubſtantiâ mediocri; dulcis ille ſoluſque nutriens, nec-non & frænum bilis, cuius dum moderatur aculeos non parum confert ad prudentiam: hic parit candidos & hilares animi mores: Bilis humor flauus, calidus ſiccus, amarus, alendo corpori neutiquâ idoneus: quos ipſius imperium exercet alacres ſunt, audaces, impauidi, Innoxia illa quidem ſi fuerit craſſiorum humorum mole velut obice intercepta; quod ſi ſolitaria incanduerit omnia turbat, vaſtat, depopulatur, & facit præcipites & temerarios animi mores. Pituita totius ſanguinis portio crudior eſt, humor dulcis, frigidus humidus, in alimoniam per inedias faceſſens: ille ſuo motu ſegnis adeò parumque actuoſus, vt tardos faciat & imbelles, ſi quidem in pituitoſis omnia torpent, ſpiritus craſſi nebuloſique dominantur; Melancholicum ſuccum frigidum ſiccum, cuius lien ſedes eſt, quo teneam vultum mutantem Prothea nodô? Ille ſi in bilem atram degeneret, ſi ex fœce non vſtâ fiat fœx vſta, tum vbique cùm in ægris corporibus tùm animi moribus deſperatio, quod ſi ſuccus ille incaluerit μετρίως, ſi aliquid bilis & ſanguinis illi accedat, erit tum clarorum ingeniorum & ſapientiæ parens, & emerget cum præſtantiſſimâ temperie πάθος illud ἡρωικὸν celſis dumtaxat dignum & ſublimibus ingeniis.

SEQVVNTVR etiam animi mores ſtructuram partium corporis: Eadem quidem eſt Anima & par in omnibus, ſed illius in Therſite & Socrate longè diſpar vis & efficientia, non quia in illis propriæ ſubſtantiæ iacturam quamdam fecerit; illa enim nec offendi, nec labefactari poteſt, ſed quia illius inſtrumentum violatum eſt, tum quidquid fit, organum ſapit non animam, & illa vitioſô corpore coercita quæ ſui ſunt muneris exequi non poteſt; inde plerumque vitioſi animi mores, hinc & vetus illud cauendum à ſignatis, ſi quidem conuenienti corporis mediocritate illa teneri deſiderat, quæ ſi parum commutabitur, functionibus illa ſuis interpellabitur, ſin multùm, tantam illa diſcrepantiam perhorreſcens nec ferre potis, de corpore decedit. Sequuntur & animi mores cœli ſolique diuerſas conſtitutiones, ſi quidem hominum formæ & mores, regionis naturam & temporum mutationes imitantur: hinc Aſiaticorum mores humaniores & benigniores Europæis, hi Aſiaticis bellicoſiores; quin inter Europæos & Aſiaticos, pro anni temporum mutationibus ſunt alij tùm formâ & magnanimitate tùm moribus inter ſe differentes; denique & alimenta animi mores immutant, hinc campeſtrium hominum quorum eſt victus agreſtis & ferinus, agreſtes illi plerumque & ferini, vrbanorum quorum laudatiſſima edulia ſunt, laudatiſſimi quoque & Maſſilienſes animi mores.

Ergo Animi Mores ſequuntur corporis temperamenta.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iſaacus Renaudot.
M. Antonius Morant.
M. Petrus Regnier.

M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.
M. Simon Boulot.

M. Franciſcus Boujonier.
M. Franciſcus Mandat.
M. Claudius Lienard.



Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LIENARD, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LIV.